Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">



plina viguit. / Quanta reuerencia et obedientia
sub regula magistri in omnibus effloruit.
testantur adhuc vestigia derelicta / quod vere
viri sancti et perfecti fuerunt. qui tam
strenue militantes mundum suppeditauerunt.
Iam magnus putatur siquis transgressor
non fuerit. / siquis quod accepit cum pacientia
tollerare potuerit. Ach ~~temporis~~ et negligentie. et temporis
status nostri quod tam cito declinamus a pristino
feruore / et iam tedet viuere per lassitudinem
et tepore. Vt in te penitus non dormitet
perfectus virtutum. qui multa sepius exempla
vidisti deuotorum.

De exercitiis boni religiosi

Vita boni religiosi / omnibus virtutibus xix.
pollere debet. vt sit talis interius qualis
videtur hominibus exterius. Et merito
multo plus debet esse intus quam quod cernitur
foris / quia inspector noster est deus
quem summopere reuereri debemus vbicumque
fuerimus / et tamquam angeli in conspectu
mundi incedere. Omni die renouare
debemus propositum nostrum. et ad feruorem nos
excitare quasi hodie primum ad conuersionem
venissemus atque dicere. Adiuua me domine
in bono proposito et sancto seruitio tuo / et da
michi nunc hodie perfecte incipere quia nichil
est quod hactenus feci / Secundum propositum nostrum